



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Messanæ docet Rhetoricam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

moderatis suę modum vllum attineret. Latissimè enim patet hæc sponsio: sique religiosè, vt semper ille præstitit, obseruetur, nihil homini prope integrum, liberumque relinquit: nec facile quisquā nisi obedientiæ absolutissimæ studiosus intellexerit, quanta in exercitatione tali virtutis præstantia sita sit: quam frequens, & animosum, & magnificum sacrificium. Sub ea destinatos Siciliae socios, antequam Roma discederent, voluit beatus Pater ad Pontificem summum vniuersos adire, ab eo faustam itineri, ac coeptis precationem accepturos. Et quanquam aderant viri graues, & eloquentes alij, tamen Canisio affandi Pontificis partes imposuit: qui latinam orationem minimè prolixam, sed admodum piam, temporique accommodatam habuit. Peruectus Messanam, veterem obtinuit morem industriæ, atque sedulitatis suæ: vt nequaquam simplici labore, munereq; vno contineretur; sed quicquid in rem animarū caritas, obedientiæue offerret, cupide, ac solerter arriperet. Non itaque dicendi præcepta duntaxat tradebat summa in gymnasio cura, & præclaris identidem orationibus declamabat latinè ad nobilem, doctamq; coronā, sed etiam sacris diebus

verba

*Destinatus in
Siciliam pro
sociis Ponti-
ficem allo-
quitur.*

*Messane do-
cet Rhetor-
ricam.
Et conciona-
tur Italicè.*